



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

IV. De iis quæ requiruntur ex parte subiecti ad hæresim contrahendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

falsam asserere; vel non aduertit esse euentem, & tunc iterum distinguo. Vel enim scit ab aliis, vel saltem à plerisque iudicari euentem, licet sibi quidens non appareat, vel id ignorat. Si ignorat, non admittit errorem, cum ignoret suam opinionem aduersari conclusioni Theologica. Si verò sciat ab aliis reputari euentem illam præmissam, & tamen pertinaciter dissentiat, non carebit culpa graui, cum eo ipso sciat propositionem illam esse ad minus proximam errori iuxta definitionem supra à nobis traditam, de propositione errori proxima, & quidem culpa illa erit contra fidem quia propter connexionem, quam conclusio Theologica habet cum fide, eadem fides videtur obligare ad eam non negandam, si cur multò minus excusaretur, qui propositionem erroneam crederet, licet id posset facere, negando solum præmissam naturalem, ex qua infertur si tamen hic dissensus stare posset cum notitia de euentia talis propositionis.

SECTIO IV.

De iis, quæ requiruntur ex parte subiecti ad hæresin contrahendam.

137

Diximus de iis, quæ requiruntur ex parte obiecti, ut propositio sit hæretica: nunc dicendum est de iis, quæ requiruntur ex parte subiecti ut homo censendus sit hæreticus: certum enim est, posse aliquem hæresim credere, & profiteri, quin ipse hæreticus sit ob defectum alicuius conditionis requisitæ ex parte subiecti, quæ conditiones nunc in particulari examinandæ sunt. Aliquæ tamen breuiter indicandæ sunt, quia de iis dixi *Diff. 18. sect. 3. & 4.* vbi diximus, hæreticum non esse in rigore proprio, qui etiam post baptismum deserit omnino totam fidem Christianam, & transiit ad iudaismum, vel paganismum: ille enim vocatur Apostata, & licet omnes hæreticorum penas incurrat, non tamen est hæreticus, quia hæreticus non est, qui Christum non conficitur, sed qui partem Christianæ religionis propriam retinet, & sub nomine Christiano alios errores contra Catholicam fidem admiscet.

§. I.

De Baptismo, an sine illo possit aliquis esse hæreticus.

138

An malitia hæresis reperiri possit in homine non baptizato remissum.

An strictè loquendo, & in foro Ecclesiæ requiratur Baptismus susceptus, ut aliquis dicatur propriè hæreticus.

Secunda ergo, & potissima conditio ad hæreticum requisita assignari solet baptismus, pro quo distinguenda est duplex quæstio. Prima esse potest, an malitia hæresis reperiri possit in homine non baptizato, & ille in foro Dei censendus sit hæreticus, in quo sensu loquuti sumus *dicta diff. 18. sect. 3.* vbi dixi differentiam hæresis ab aliis infidelitatibus, non desumi ex parte subiecti errantis, sed ex parte obiecti negati: sed tamen ibidem monui, me non agere de hæretico strictè, sed latè sumpto, & in eodem sensu *ibi sect. 4.* dixi, Cathecumenum recedentem à fide posse appellari Apostatam. Secunda quæstio diuersa esse potest, & hæc pertinet ad hunc locum an strictè loquendo, & in foro Ecclesiæ, requira-

tur baptismus susceptus, ut aliquis dicatur propriè hæreticus. Negat Castro *lib. 1. de iust. heret. punitione cap. 8.* quia Cathecumenus est intra Ecclesiam saluari enim potest, & extra Ecclesiam salus esse non potest, ergo est membrum Ecclesiæ, cum sit membrum Christi, cuius fidem profitetur, & ideo possit à Christo saltem participare: ergo est membrum corporis Christi, quod est Ecclesia, & per consequens potest Ecclesia eum iudicare, & punire, sicut quævis Respublica potest suum ciuem tanquam proprium membrum iudicare, & corrigere.

Hanc Caltri sententiam merito alij omnes recipiunt, quos afferunt, & sequuntur Suarez *diff. 19. sect. 5. num. 3. & 6.* Thomas Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 7. num. 34.* Hurtado *diff. 8. 2. sect. 2. §. 11.* Castro Palao *tom. 1. tract. 4. diff. 3. punct. 2. num. 20.* & alij communiter. Ratio autem est clara, quia Cathecumenus quantumlibet desiderium baptismi ostenderit, & fidem mente conceperit, tamen vera nondum Ecclesia ita ingressus est, ut Ecclesiæ iudicio subesse possit, ut definitur in Trident. *sess. 14. c. 2. his verbis: cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus.* Quid enim mihi, inquit Apostolus de his, qui foris sunt iudicare? non potest ergo Ecclesia eos, qui nondum per baptismi ianuam in eam sunt ingressi, penas suis propter eorum crimina punire, atque adeo licet in foro Dei hæretici fiant, recedendo ab aliquo dogmate Christianæ fidei, non sunt tamen hæretici in foro Ecclesiæ, nec eos sub hæreticorum nomine Ecclesia intelligit, quoties penas aliquas aduersus hæreticos statuit. Sunt enim de corpore Christi, atque adeo ad Ecclesiam pertinent, solum interius, & quoad fructus internos, & inuisibiles participandos, non verò exterius, & quoad effectus visibiles, quia nondum signo visibili baptismi insigniti sunt, nec per visibilem ianuam sunt ingressi in corpus Ecclesiæ visibile, quare ab Ecclesia, quæ est visibilis Respublica, iudicari non possunt: & hic est sensus, & praxis ipsius Ecclesiæ, quæ nunquam se se ingerit in hæc iudicia, sed ea relinquunt inuisibili iudici, qui Deus est, ut innumeris adductis testatur Farinacius de hæresi *quest. 178. à num. 128.* per plures sequentes.

Circa hoc dubitatur primò. An qui baptizatus fuit, sed tamen baptismi inualido ob defectum substantialem in materia, vel forma, vel intentione, sit postea hæreticus punibilis ab Ecclesia. Affirmant Alfonso de Castro, Simancas, Gabriel. Azor, & Farinacius apud Castrum Palao *dicto puncto 2. num. 20.* quibus adde Sayrum, & Henriquez apud Dianam *part. 4. tract. 8. section. 3. de officio & potestate Inquisitorum resol. 78.* & alij. Quod probat Simancas, quia iste baptizatus est cum baptismo flaminis, & quia in hac re plus operatur opinio, quam veritas. Alij tamen communiter, & merito id negant, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez *dicto cap. 7. num. 34.* Castro Palao *loco proxime citato*, Suarez *dicta sect. 5. num. 8.* Hurtado *dicta diff. 8. 2. §. 17.* & alij. Qui adhuc in eo casu verificatur ratio à Tridentino adducta, quod ille verè non est ingressus in Ecclesiam per baptismi ianuam, atque ideo foris adhuc sit, quare ad Ecclesiæ iudicium adhuc non spectat. Nec obstat, quod dicebatur de baptismi flaminis: nam illud retorquet bene Suarez aduersus ipsum Simancam, qui negauerat Cathecumenum

enmenum posse ab Ecclesia ut hæreticum puniri, cum tamen Catechumenus etiam baptismum flammis acceperit, nempe desiderium baptismi. Nec denique potest magis opinio, quam veritas operari in hoc casu, cum supponamus constare iam Ecclesie sufficienter de invaliditate baptismi suscepti, atque ideo iam non manet opinio de baptismo, sed notitia manifestata de carentia baptismi.

141 Solūm posset obstarē id, quod refert Castro Palao dicto tom. 1. tract. 4. disp. 8. puncti. 16. §. 6. num. 3. nempe Cæsar Augustus anno 1619. quemdam Maurum, qui adversus fidem nostram deliquit, reconciliatum fuisse, etiam si allegasset se baptizatum non fuisse, & verē in libro Parochi eius baptismus scriptus non inveniretur. Vnde ipse infert, ad hoc sufficere, quod in communi hominum existimatione reputetur baptizatus, quia inter Christianos natus, & nutritus est. Cui ex parte fauere videtur Sanchez dicto capite 7. num. 36. ubi cum Sayro, & Henriquez docet, posse eiusmodi hominem cogi saltem ab Ecclesia ad verum baptismum suscipiendum, quando invalidum suscepit, quia iam ex parte sua illum suscepit. Hoc tamen mihi non satis videtur consequenter dici, quia voluntas suscipiendi baptismum, non dat ius Ecclesie, vt cogat ad illum suscipiendum: nam Catechumenus eo ipso, quod in albo Catechumenorum vult adscribi, ostendit voluntatem suscipiendi baptismum, & quidem voluntas illa sufficit, vt si morbo præuentus sensum amittat, vel rationis usum, possit validè baptizari. Et tamen semper antequam baptizetur, potest ab ea voluntate ita recedere, vt non possit ab Ecclesia cogi ad baptismum, vt faretur expressè Suarez dicta sect. 5. num. 6. quia eiusmodi voluntas, & petitio baptismi nullum ius Ecclesie dat non subsequuto ipso baptismo: si ergo constat de baptismo vero non subsequuto, non potest ab Ecclesia cogi ad permanendum in ea voluntate.

142 Ad exemplum ergo, & casum Mauri illius supra adductum dicendum est, vel rem mansisse dubiam, & in dubio præsumptum fuisse baptizatum propter possessionem, & communem existimationem, vt mox videbimus; vel certè illum non fuisse puniendum ut hæreticum propter hæresim, sed propter delictum commissum contra nostram religionem. Sciendum enim est, licet Ecclesia non procedat contra non baptizatos præcisè propter hæresim, vel propter negationem fidei, in aliquibus tamen casibus procedere contra infideles subditos Principibus Christianis, vt constat ex Bulla Gregorij XI. incipiente, *Admodum dolenter audimus*, & Bulla Gregorij XIII. incipiente, *Antiqua Iudeorum improbitas*, quas refert Peña inter litteras Apostolicas, in fine directorij, & de quibus tractat Diana dicta parte 4. tract. 7. de penis delictorum, & c. resolutione 2. Castro Palao dicto §. 6. ubi Inquisitoribus committitur, vt puniant Iudeos, & alios Paganos negantes, quæ in sua secta communia habent cum nostra religione, vt Deum unum, æternum, omnipotentem, creatorem &c. Item si Dæmones inuocant, colunt, consulant, vel iis sacrificia, vel thura offerunt. Si Christianos velint seducere, vel ad suos ritus, vel ad alia falsa dogmata sollicitant, vel si eos, qui fidei amplectendæ voluntatem ostendunt, ab eo proposito retrahant, eosve impediunt. Si blas-

Card. de Lugo de virtute Fidei diuina.

phemias proferant hæreticales in Christum, vel Deiparam, vt illum esse peccatorem, hanc non esse virginem, vel alia eiusmodi dicant. Si hæreticos, vel Apostatas adiuuent, vel defendant. Si libros prohibitos deferant, retineant, diuulgent, vel ad id operam suam conferant. Si derisioni habeant Christianos, sacram hostiam, Crucem, Christum Dominum conspuentes, vel quid simile facientes. Si Christianas nutrices habeant, vel cogant eas, quando communicant, vno, aut pluribus diebus effundere lac in cloacas, aut latrinas. Quali autem pœna Inquisitores punire debeant infideles ob hæc delicta, tradunt Doctores, quos congruit Diana dicta resolutione 2. Vnde alij, quos ibi refert, satis probabiliter inferunt contra alios id negantes, posse ab Inquisitoribus puniri Iudeum, qui ex Iudaismo, ad Mahometismum transiit, quia eo ipso negare incipit aliqua nostræ religionis dogmata, quæ Iudei nobiscum communiter credunt, & profitentur. Vnde constat quomodo Maurus ille non baptizatus puniri poterit ab Inquisitoribus, non propter hæresim, sed propter alia delicta hic enumerata, quæ etiam in non baptizatis puniuntur.

Hinc secundo dubitari solet, quid dicendum sit de eo, cuius baptismus dubius est, an hic si in hæresim incidat, puniri possit ab Ecclesia, tanquam hæreticus. De hoc agit breuiter Diana dicto tract. 8. resolutione 113. & refert sententiam Didaci Canteræ in questionibus criminalibus, capite primo de hæreticis, numero quinto, dicentis, si ille natus est, & conuersatus inter Christianos, præsumi in dubio baptizatum, & puniri tanquam hæreticum: è contra verò si sit natus, & conuersatus inter infideles: de quo non videtur esse controversia. Difficultas esse potest, quando facta diligentia res maneat dubia, an fuerit baptizatus; vel quando constat de baptismo collato cum materia, vel forma, quæ reuera est dubia, & ita manet dubius baptismi valor. Quo casu iuxta principia generalia ego distinguem: nam vel dubium est posituum, vel negatiuum: si dubium sit posituum, hoc est, habens rationes probabiles pro vtraque parte, tunc videri posset, quod Iudex Ecclesiasticus debet iudicare secundum probabilitatem opinionem, vt cum alijs dixi tom. 2. de Iustitia, disp. 37. sect. 10. num. 116. quare si probabilius sit, non esse validè baptizatum, non debet eum punire ut hæreticum; poterit tamen si probabilius sit, esse baptizatum; & in vtroque casu debet iterum sub conditione baptizari. Si autem æquè probabilis sit vtraque pars poterit Iudex quam voluerit sententiam amplecti, vt dixi ibid. num. 115. Sed tamen puto in neutro casu puniri posse pœna saltem ordinaria; nec doctrinam illam posse bene ad hos casus applicari, quia procedit solū de dubio posituo, & probabilitate, quæ versatur circa ius; quando verò dubium etiam posituum versatur circa factum, dixi ibid. num. 113. fauendum esse Reo. Tale autem est dubium hoc, quod totum versatur circa factum, an hic fuerit, vel non fuerit reipsa baptizatus: quare dum factum manet dubium, non debet reus absolūtè condemnari in foro externo; nisi sint aliæ Iuris præsumptiones contra ipsum: an verò possit ad pœnam extraordinariam leuiorem damnari, vide quæ dixi ibid. sect. 12. num. 141. & sequentibus.

143

An is cuius Baptismus dubius est, si in hæresim incidat, puniri possit ab Ecclesia, tanquam hæreticus.

BBb in

in foro autem conscientie ipse poterit indicare se non incurrisse censuras, & alias penas hæreticorum, cum probabiliter iudicet se non fuisse baptizatum, atque ideo non fuisse capacem incurrendi.

144

Quando verò dubium est negatiuum, in quo pro neutra parte fundamenta sunt probabilia, ego putarem eum non posse condemnari, vt hæreticum, nisi contra ipsum staret aliunde præsumptio ex possessione, vel quasi possessione, vel ex aliis capitibus. Ratio est, quia vt condemnatur reus debet probari delictum: si autem delictum nec ceritò, nec probabiliter probetur, non apparet, quomodo possit condemnari. Delictum verò in casu nostro est hæresis, quæ vt hæresis punibilis sit, debet esse hominis baptizati: si ergo non probetur baptismus, non probatur hæresis punibilis, onus autem probandi incumbit auctori, nisi sit aliunde præsumptio contrarium, quæ in ipsum probandi onus reiciat.

145

An is, qui fide voluit baptizari, cum voluntate non recipiendi Sacramenti puniri possit tanquam hæreticus.

Tertio dubitatur circa hoc ipsum, an si baptismus validus fuit ex parte materie, formæ, & ministri, sed invalidus ex parte baptizati, qui fide, & sine intentione voluit exterius baptizari, cum voluntate non recipiendi sacramentum, puniri hic possit propter hæresim tanquam hæreticus. Respondetur breuiter cum Suarez *dist. 5. §. 1. num. 9.* & Sanchez *lib. 2. in Decalogum capite 7. num. 35.* in foro externo præsumi ab Ecclesia validè baptizatum, atque adeo puniendum vt hæreticum, nisi fictio illa interna aliunde probari possit. Addit bene Hurtado *dist. 82. §. 8.* si ferit absque coactione, sed solo ardore baptismi, dicat se non validè baptizatum, debere Episcopum, aut Parochum illum baptizare absolute, vel sub conditione pro qualitate argumentorum: credendum enim est, in ea materia præsertim, quando confessio baptismi inualidi non ei deseruit ad fugiendum aliquod periculum, vel incommodum, quod timet si se baptizatum fateatur.

146

An puniri possit tanquam hæreticus qui se Christianum, & baptizatum proficitur, licet postea repetiturus non sit.

Quarto dubitatur de eo, qui se vt Christianum & baptizatum proficitur, an ea publica professio sufficiat, vt puniatur tanquam hæreticus, licet postea repetiturus non sit. Castro Palao *dicto tract. 4. disp. 8. puncto 16. §. 6. num. 3.* videtur affirmare cum aliis quos affert: quia ille offendit religionem nostram, quam exterius saltem proficitur. Hoc tamen non probat, quòd debeat tanquam hæreticus puniri, sed sicut puniuntur Iudæi, & alij infideles in iis casibus, in quibus puniri possunt ob religionem Christianam læsam: non tamen puniuntur ob infidelitatem, vel hæresim contra illam. Quare si ille sciret, se non fuisse baptizatum, & tamen se ingereret actibus Christianorum propriis, verb.g. suscipiendo Eucharistiam, & se se Christianum simulando, ne à Christianorum commercio, & cohabitatione excluderetur, posset ob hæc puniri, quia offendit, & lædit Ecclesiam eiusque sacramenta, decipiendo in re graui, & se se sub baptismi fidei prætextu Christianis ritibus ingerendo. Noui ego Iudæum Romanum ita se gerentem, qui etiam cum Christianis ad sacram hostiam accedebat, vt pro Christiano à sociis haberetur, qui tamen, antequam omnino detegeretur Christianus, ni fallor, factus fuit, vt iam licitè prosequeretur in iis, quæ antea illicitè & sacrilegè faciebat.

147

Quinto dubitatur de eo, qui coactus metu

baptismum suscepit, an si postea contra fidem delinquat, possit vt hæreticus puniri. Distinguenda est duplex coactio, prima omnino extrinseca, & ipso aperte renitente, & protestante se dissentire, & tunc baptismus est irritus, vt po-
te collatus adulto sine voluntate eum recipien-
di, quæ coactio cum constet Ecclesie, non potest pro hæretico haberi, aut puniri. Secunda coactio est, quæ ex metu cogitur consentire, consentit tamen, & ostendit se consentire, & hic consensus validus est: nam voluntas coacta voluntas est, & reddit baptismum validum, & fit subditus Ecclesie, à qua postmodum puniri potest tanquam hæreticus vt habetur in Concil. Tolentan. 4. c. 56. quod postea probauit Innocentius III. in cap. *Maiores*, de Baptismo, & docent Doctores, quos congerunt Castro Palao *dicto tract. 4. disp. 3. punct. 2. in fine*, & Fatinaeus *de hæresi quest. 178. §. 6. n. 141. & 142.*

§. II.

An in hæretico necesse sit, quòd antea crediderit.

Loquimur semper de hæretico punibili ab Ecclesia: nam in ordine ad contrahendam malitiam hæresis iam diximus *supra disp. 18. sect. 3.* esse verum, & substantialiter hæreticum, quicumque proficitur Christum, & aliquos nostræ fidei articulos negat, licet ille non proficitur Christum per veram & supernaturalem fidem diuinam, quæ in infideli esse non potest: sicut est Iudæus, qui confitetur vetus testamentum seu Christum in figura, & negat Christum venisse; qui ceritè non credit vetus testamentum per fidem diuinam, & supernaturalem, vt constat. Sufficit ergo quòd fides Christi obiectiua materialiter suscipiatur, siue per actum naturalem, siue per supernaturalem: omnis enim qui cum professione Christi coniungit alios errores, hæreticus dicitur, sicut dicitur Iudæus, qui proficitur Christum, sed negat venisse. Dubium ergo solum nunc restat, an puniendus sit, vt hæreticus, & penas Ecclesiasticas hæreticorum incurrat, qui nunquam habuit fidem supernaturalem, an verò hoc requiratur, quòd aliquando fidem infusam habuerit.

Hurtado *dist. 82. sect. 2. §. 8.* dicit, vt aliquis sit hæreticus, exigi, quòd aliquando fidem habuerit, & clarius §. 14. necessarium esse ad hæresim eam Christi professionem, per quam homo sit moraliter certus de omni doctrina fidei, & paratus actu, vel habitu ad eam sequendam ex auctoritate Ecclesie: alioquin nunquam ille homo fuit in professione Christiana. Hac autem fides in adulto nunquam separatur ab infusa. Vnde infert ex hypothesi, quòd aliquis erret quin habuerit fidem supernaturalem, eum minime esse hæreticum. Hac Hurtado, qui tamen oppositum significasse videbatur *disp. 71. sect. 3. §. 11.* Et quidem negari non potest, id esse contra communem fidelium sensum, & praxim Ecclesie, quæ hæreticos simpliciter, & absolute reputat eos omnes, qui baptismum suscepto, & Christi nomen profitentes errores alios contra fidem tenent, quantumuis Catholici nunquam fuerint, vt latius probat Suarez *disp. 16. sect. 4. num. 5.* & *disp. 19. sect. 5. num. 1. & 2.* & consentiunt alij, quos attuli *dist. 18. sect. 3.* Quamuis enim qui

qui in infantia baptizatur apud hæreticos, & apud eos in falsa doctrina nutritur, postea factus adultus possit aliquandiu non peccare contra fidem Catholicam, quandiu non ei proponitur sufficienter ut obligetur ad eam amplectendam: postquam tamen fides Catholica ei sufficienter proponitur, ut obligatio eam amplectendi, & relinquendi errores contrarios, si adhuc in iis perseveret, erit hæreticus, & ut talis ab omnibus reputatur, & ab ipsa Ecclesia, quæ nunquam inquit, an antea Catholicus fuerit, sed solum an sit baptizatus, & contra fidem Catholicam peccet, quibus instantibus eum excommunicatum iudicat, aliisque Ecclesiasticis penis irretitum: non est ergo necesse, quod antea fidem habuerit, ut hæreticus sit, sed sufficit esse baptizatum, & retenta adhuc Christianitatis professione Catholicæ fidei dissentire, quando ei sufficienter proponitur, ut cum aliis etiam notavit Thomas Sanchez lib. 2. in decalog. c. 1. n. ultimo.

150

Dices, eos omnes in baptismo fidem suscepisse saltem quoad habitum infusum, quare merito reputantur hæretici, qui postea reiciunt fidem infusam, quam acceperunt. Respondeo, in primis in mea sententia non infundi habitum fidei sine habitu charitatis, ut dixi supra disp. 16. sect. 2. quare licet infans baptizatus apud hæreticos utrumque habitum accipiat, adultus tamen, qui ab hæreticis in hæresi culpabiliter existens baptizatur, neutrum habitum accipit, & tamen perseverans in eodem errore post baptismum est videri hæreticus ab Ecclesia punibilis. Deinde dato quod adulto possit habitus fidei in baptismo, vel etiam extra baptismum infundi sine gratia, & charitate; id tamen non fit sine aliquo actu fidei infuse precedente, tanquam dispositione requisita ex lege Dei, neque id concedunt illi auctores, sed omnes exigunt eam dispositionem in adulto ad primam infusionem habitus fidei. Alioquin posset infundi habitus fidei in baptismo homini perseveranti actu in sua infidelitate, quod est impossibile, cum peccatum infidelitatis expellat habitum fidei antea infusum. Si ergo adultus perseverans in sua infidelitate culpabili baptizetur apud hæreticos, non recipit habitum fidei infusum, & tamen postea reputatur hæreticus ab Ecclesia punibilis, licet nunquam habuerit fidem infusam actualem, nec habitalem. Denique licet id totum tibi concedamus, nempe in baptismo etiam apud hæreticos infundi semper habitum fidei omnibus, siue parvulis, siue adultis (quod falsum omnino est) nihil contra nos haberetur: nam adhuc verum esset id, quod nunc contendimus, nempe sufficere baptismum susceptum, ut error contra fidem postea reddat hominem hæreticum punibilem ab Ecclesia: si enim baptismus semper affert habitum fidei infuse, iam error consequens erit contra fidem infusam antea susceptam, & per consequens verum erit, nihil aliud requiri quam baptismum præteritum, licet homo ille nunquam crediderit actu fidei infuse, vilius articulum religionis Christianæ.

151

Dices, hæreticus non est, qui non profitemur Christum, sed erit Iudæus, vel Paganus: non videtur autem profiteri Christum, nisi, qui credit in Christum, atque adeo actu fidei infuse, qui solus certitudinem habet: non enim dicitur Christianus, qui solum opinionem probabilem haberet de Christiana religione, vel de

Card. de Lugo de virtute Fidei divina.

Christi adventu iam posito, ergo non est hæreticus, qui non credidit aliquando fide infusa doctrinam nostræ fidei. Respondeo, hoc argumentum, si quid probat, probare etiam quod cum ipsa hæresi manere debeat fides supernaturalis de veritate Christianæ religionis: in hæretico enim non tam requiritur, quod antea professus fuerit, quam quod actu profiteatur Christianam religionem: nam si illam iam nunc non profitemur, non erit hæreticus, sed infidelis, Iudæus, vel Paganus, licet antea Christianus fuerit. Sicut ergo sufficit in hæretico quod actu profiteatur Christianam religionem, licet non illam credat fide infusa; ita multo magis sufficit illam credidisse etiam sine fide infusa, dum tamen eam non omnino abiecerit, sed ex parte adhuc retineat.

Potest tamen questio leuioris momenti esse, an dicendus sit hæreticus, qui de Christiana religione retinet opinionem probabilem, non tamen firmum assensum. Hoc, inquam, dubium, quoad rem ipsam parvi ponderis est, quia siue ille dicendus sit hæreticus, siue infidelis alio genere infidelitatis; si tamen baptizatus est, certum est mihi, quod possit incurrere penas omnes Ecclesiasticas internas, vel externas contra hæreticos statutas; sicut & illas incurreret Apostata, qui post baptismum susceptum transiit ad Iudaismum, vel Paganismum, licet hic non sit propriè hæreticus, sed Iudæus, vel Paganus. Restat ergo solum questio ferè de nomine, an ille, qui solum retinet opinionem formidolosam de veritate nostræ religionis, dicendus sit hæreticus: in quo placet magis, quod non sit appellandus propriè hæreticus: quia non profitemur propriè Christianam religionem; nam profiteri sonat plus quam assensum formidolosum, nempe firmam adhesionem cum mentis stabilitate, sicut ergo dubius in aliquo fidei articulo est hæreticus, ita dubitans, vel formidans de. Adventu Christi posito est infidelis, infidelitate quæ reduci potest ad Iudaismum; non tamen erit propriè Iudæus: nam Iudæus profitemur firmiter scētā suam, quod ille non facit, sed fluctuat: quod idem dicendum videtur de habente assensum probabilem, cum hic etiam formidet. Si tamen aliquis retineat assensum firmum circa alios articulos, & opinionem solam de veritate Eucharistiæ, v. g. hic non solum reductivè, sed propriè, & directè esset hæreticus, quia negare aliquid pertinens ad fidem, nempe infallibilitatem, & certitudinem nostræ fidei circa Eucharistiam. Vnde infero contra Hurtadum dicto §. 14. disp. 82. posse aliquem esse propriè hæreticum, & punibilem ut talem ab Ecclesia, qui nec nunc, nec antea professus, vel confessus fuerit auctoritatem Ecclesiæ. Potest enim quoad reliqua religionem Christianam, & Christum confiteri, & credere negando articulum illum de auctoritate Ecclesiæ; quare si baptizatus sit, erit hæreticus negans vnum articulum fidei nostræ, & quoad alios Christianam religionem profitendo, & actu naturali fidei amplectendo.

Advertunt denique, & fatentur omnes, non requiri in hæretico, quod veritatem, vel articulum illum fidei, quem hæreticè negat, antea crediderit: satis est, quod Christianam religionem quoad substantialia professus fuerit, vel profiteatur: multi enim hæretici fiunt circa dogmata denuo ab Ecclesia definita, de quibus

BBb 2 antea

152

An dicendus sit hæreticus qui de Christiana religione retinet opinionem probabilem, non tamen firmum assensum?

An qui solum retinet opinionem formidolosam nostræ religionis, dicendus sit hæreticus?

Potest aliquis esse propriè hæreticus, & punibilis ab Ecclesia qui nec nunc, nec antea confessus fuerit auctoritatem Ecclesiæ.

antea non cogitauerant, vt notat Suarez d. di-
sp. 19. sect. 5. num. 2.

§. III.

De deliberatione in hæretico requisita.

153

Deliberatio etiam requiritur ex parte subie-
cti, vt aliquis sit hæreticus Ecclesiasticis
pœnis punibilis, & quidem deliberatio plena, si-
ne qua non datur culpa mortalis; & quamuis pos-
sit in hac materia contingere peccatum veniale
ex defectu plenæ deliberationis; illa tamen non
appellatur *hæresis*, nec punitur ab Ecclesia, quæ
nomen hoc applicuit ad illam solam hæresim,
quæ cum peccato mortali, & cum plena delibe-
ratione admittitur. Aduertunt autem Doctores,
frequenter contingere præsertim scrupulosis mē-
tibus, vt hi dissensus interni sine deliberatione
fiant, vel verius non fiant, sed fieri appareant ob
vehementiam imaginationis, aut tentationis à
Dæmone immixtæ, remediumque optimum esse
eas cogitationes irritare, & de iis non curare: de
quo videri possunt Gerson, & alij, quos affert
Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 7. num. 13. & 14. Ad-
uerte item, in foro externo non præsumi defe-
ctum plenæ, & sufficientis deliberationis ad pec-
carum graue in blasphemis hæreticalibus, quæ
impetu vehementis iracundiæ proferuntur, imo
grauiter puniuntur, vt contra aliquos notat cum
aliis Diana 4. par. tract. 7. de pœnis delictorum, &c.
resoluit. 8. & tract. 8. de officio & potestate in-
quisitorum resoluit. 87. vbi etiam an de vehementi,
an solum de leui, an nullo modo abiurare cogen-
dum sit.

Ad hoc caput deliberationis requisitæ ex parte
subiecti spectat potissimum duplex questio.
Prima est de pertinaciâ requisita ad hæresim puni-
bilem. Secunda de ignorantia inuincibili, aut
etiam vincibili, an & quomodo excuset ab hæ-
resi, & eius pœnis contrahendis, de quibus suo
ordine agendum erit duabus sectionibus se-
quentibus.

SECTIO V.

De pertinaciâ, an, & qualis in hæretico
requiratur.

154

Atentur omnes, requiri pertinaciâ, vt ali-
quis hæreticus sit, & dicatur, atque adeo,
vt hæreticorum pœnas incurat Ecclesiasticas.
Quod supponitur in Conciliorum decretis dam-
nantibus eos, qui pertinaciter contradixerint;
in cap. *Dathanamus*, de summa Trinitate. Clement.
1. §. porro eodem titulo cap. vnico, eodem titu-
lo lib. 6. Clement. vnica §. vltimo de vsuris, &
aliis, quæ congerit Suarez disp. 19. sect. 3. num. 9.
vbi etiam apud Coninch. disp. 18. dub. 7. num. 76.
videri possunt loca Augustini eam pertinaciâ
exigentis, & de communi doctorum consensu
videri etiam potest vltra alios Farinacius de hæ-
resi, quest. 196. & plures etiam congerit Diana 4.
parte tract. 7. de pœnis delictorum &c. resolutione
36. Questio tota est, quanta, & qualis hæc
pertinaciâ esse debeat.

155
Pertinaciâ
etymologia.

Pertinaciâ aliqui cum Isidoro lib. 10. sub
litera P. volunt dictum esse, quasi imprudenter

tenentem, quam etymologiam approbare vide-
tur Suarez dista. sect. 3. num. 12. sed alij cum
Verone deriuant à *peruolando*. Alij fortasse me-
lius deducunt à *per*, & *tenco*, quasi *perstinax*, sit
nimis tenax, vt videri potest apud Calepinum in
verbo, *perstinax*, vbi etiam afferuntur loca non-
nulla, in quibus in bonam etiam partem vsurpa-
tur: frequentius tamen in malam, & in præfenti
materia significat procul dubio vitiolam & ob-
stinatam tenacitatem propriæ sententiæ contra
sensum Ecclesiæ. Quo supposito primum du-
bium esse potest, an requiratur pertinaciâ contra
Ecclesiâ, an verò sufficiat quod reiciatur fides
sufficienter proposita, licet nihil proponatur de
sensu Ecclesiæ. Diximus enim supra. Distin-
sect. 12. non repugnare quòd aliquid proponatur,
vt euidenter credibile, & cum obligatione id
credendi, quamuis non proponatur auctoritas
Ecclesiæ: si quis ergo dissentiat, peccat quid-
dem contra fidem peccato infidelitatis, & perde-
ret habitum fidei infusam, verò esset hæreticus,
diximus hæc eadem disputatione sect. 1. agentes
de iis, quæ ad hæresim requiruntur ex parte ob-
iecti, ad quem locum pertinet hoc dubium. Nam
hæc circumstantia non se tenet ex parte subiecti,
sed ex parte obiecti, cui per dissensum contradi-
citur. Vnde ibi diximus casum esse metaphysi-
cum, si res ipsa sit de iis, quæ non ad reuelatio-
nem priuatam, sed communem spectant. Semper
enim obicitur auctoritas contraria Ecclesiæ. Da-
ta tamen illa hypothesi, cum non fore hæreticum
propriè loquendo, quia hoc nomen ex vlu
Ecclesiæ vsurpatur solum ad significandum eum,
qui Ecclesiæ Catholicæ sese opponit, quare conse-
quenter ille non incurretur censuras, & pœnas
hæreticorum. Semper tamen in foro externo præ-
sumetur hæreticus, quia non præsumitur perti-
naciâ contra reuelationem publicam, sine perti-
naciâ contra auctoritatem Ecclesiæ.

Secundum dubium, & magis ad rem præsen-
tem est, an hæc pertinaciâ dari possit, antequam
errans admoneatur de suo errore, & ipse moni-
tionem contemnat. Est enim aliquorum senten-
tia id exigens, atque adeo temporis durationem
non modicam, in quo incorrigibilis appareat,
& obstinatio contra monitiones, & correptiones
adhibitas. Pro qua citari solent Syluester verbo
hæresis 1. quest. 2. num. 5. & Archidiaconus apud
ipsum dicentes hæreticum esse, qui publicè, vel
latenter diu in errore persistit. Alij tamen eos
explicant, quod loquantur non de culpa ipsa, sed
de præsumptione criminis, & pertinaciâ in foro
Ecclesiastico. Eam tamen videtur docuisse Alci-
rus in l. 2. Cod. de summa Trinitate, num. 3. vbi
sic ait: *Pertinaciâ est, quæ hominem hereticum
facit, quæ propter si quisquam in Trinitate non
rectè sentiat, nisi admonitus persistat, hereticum
non est. Quod idem docuisse videtur Menochius
volum. 2. Concil. 149. num. 49. dicens: vt quod
dicatur hæreticus pertinax, debet consistere quod
fuit monitus, & instructus de veritate, & quod
ea instructione sprete persistat in eadem opinio-
ne. Pro quo citat Lupum, & Turcremetum,
quibus alij addunt Palatium, Rubicum in allega-
tione in materia hæres. §. 3. & fundari possunt in
verbis Pauli ad Titum 3. hæreticum hominem post
primam & secundam admonitionem denita. &
Augustini contra Manichæos relati in cap. qui
in Ecclesia, 2. q. 3. dicentis, Qui in Ecclesia Dei
morbidum aliquid prauumque sapient si correctis*